

EJERCICIO N° 1: Texto en prosa para traducir sin diccionario

Licet nihil aliud quod sit salutare temptemus, proderit tamen per se ipsum secedere: meliores erimus singuli. Quid quod secedere ad optimos uiros et aliquod exemplum eligere ad quod uitam derigamus licet? Quod nisi in otio non fit: tunc potest optineri quod semel placuit, ubi nemo interuenit qui iudicium adhuc inbecillum populo adiutore detorqueat; tunc potest uita aequali et uno tenore procedere, quam propositis diuersissimis scindimus. Nam inter cetera mala illud pessimum est, quod uitia ipsa mutamus. Sic ne hoc quidem nobis contingit, permanere in malo iam familiari. Aliud ex alio placet uexatque nos hoc quoque, quod iudicia nostra non tantum praua sed etiam leuia sunt: fluctuamur aliudque ex alio comprehendimus, petita relinquimus, relicta repetimus, alternae inter cupiditatem nostram et paenitentiam uices sunt. Pendemus enim toti ex alienis iudiciis et id optimum nobis uidetur quod petitores laudatoresque multos habet, non id quod laudandum petendumque est, nec uiam bonam ac malam per se aestimamus sed turba uestigiorum, in quibus nulla sunt redeuntium.


Dices mihi: 'quid ais, Seneca? deseris partes? Certe Stoici uestri dicunt: "usque ad ultimum uitae finem in actu erimus, non desinemus communi bono operam dare, adiuuare singulos, opem ferre etiam inimicis senili manu.

Nos sumus qui nullis annis uacationem damus et, quod ait ille uir disertissimus,

canitiem galea premimus;

nos sumus apud quos usque eo nihil ante mortem otiosum est ut, si res patitur, non sit ipsa mors otiosa." Quid nobis Epicuri praecepta in ipsis Zenonis principiis loqueris? Quin tu bene gnauiter, si partium piget, transfugis potius quam prodis?' Hoc tibi in praesentia respondebo: 'numquid uis amplius quam ut me similem ducibus meis praestem? Quid ergo est? non quo miserint me illi, sed quo duxerint ibo.'

[L. Annaei Senecae *Ad Serenum de otio* 1.1-4 (editit L.D. Reynolds OCT)]




EJERCICIO Nº 2: Texto en prosa para traducir con diccionario y comentar (comentario sintáctico y de *realia*)

[60] *Sequitur caedes Annaei Senecae, laetissima principi, non quia coniurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat. solus quippe Natalis et hactenus prompsit missum se ad aegrotum Senecam uti viseret conquerereturque cur Pisonem aditu arceret: melius fore, si amicitiam familiari congressu exercuissent; et respondisse Senecam sermones mutuos et crebra conloquia neutri conducere; ceterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti. haec ferre Gavius Silvanus tribunus praetoriae cohortis et an dicta Natalis suaque responsa nosceret percunctari Senecam iubetur. is forte an prudens ad eum diem ex Campania remeaverat quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat. illo propinqua vespera tribunus venit et villam globis militum saepsit; tum ipsi cum Pompeia Paulina uxore et amicis duobus epulanti mandata imperatoris edidit.*

[61] *Seneca missum ad se Natalem conquestumque nomine Pisonis quod a visendo eo prohiberetur, seque rationem valetudinis et amorem quietis excusavisse respondit. cur salutem privati hominis incolumitati suae anteferet causam non habuisse; nec sibi promptum in adulationes ingenium. idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui saepius libertatem Senecae quam servitium expertus esset. ubi haec a tribuno relata sunt Poppaea et Tigellino coram, quod erat saevienti principi intimum consiliorum, interrogat an Seneca voluntariam mortem pararet. tum tribunus nulla pavoris signa, nihil triste in verbis eius aut vultu deprensam confirmavit. ergo regredi et indicere mortem iubetur. tradit Fabius Rusticus non eo quo venerat intinere redisse tribunum sed flexisse ad Faenium praefectum, et expositis Caesaris iussis an obtemperaret interrogavisse, monitumque ab eo ut exsequeretur, fatali omnium ignavia. nam et Silvanus inter coniuratos erat augebatque scelera in quorum ultionem consenserat. voci tamen et adspectui pepercit intromisitque ad Senecam unum ex centurionibus qui necessitatem ultimam denuntiaret.*


[P. Corneli Taciti *Annalium ab excessu Divi Augusti liber 15.60-61* (edidit C.D. Fisher OCT)]

- Coméntense los *realia* que reflejan las palabras subrayadas con doble línea, teniendo en cuenta el contexto histórico en el que se desarrollan los acontecimientos narrados en el pasaje traducido.
- Coméntense la sintaxis del fragmento subrayado con línea simple.



EJERCICIO Nº 3: Texto en verso para traducir con diccionario y comentar (comentario fonético-morfológico y métrico)

*Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos,
quid concinna Samos, quid Croesi regia Sardis,
Zmyrna quid et Colophon, maiora minorane fama?
cunctane prae Campo et Tiberino flumine sordent?*



an venit in votum Attalicis ex urbibus una? 5

an Lebedum laudas odio maris atque viarum?

scis Lebedus quid sit? Gabiis desertior atque

Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem

oblitusque meorum, obliviscendus et illis

Neptunum procul e terra spectare furentem. 10

Sed neque qui Capua Romam petit, imbre lutoque

aspersus volet in caupona vivere nec, qui

frigus collegit, furnos et balnea laudat

ut fortunatam plene praestantia vitam,

nec, si te validus iactaverit Auster in alto, 15

idcirco navem trans Aegaeum mare vendas.

incolumi Rhodos et Mytilene pulchra facit quod

paenula solstitio, campestre nivalibus auris,

per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.

dum licet ac voltum servat Fortuna benignum, 20

Romae laudetur Samos et Chios et Rhodos absens.

Tu, quamcumque deus tibi fortunaverit horam

grata sume manu neu dulcia differ in annum,

ut quocumque loco fueris, vixisse libenter

te dicas; nam si ratio et prudentia curas, 25

non locus effusi late maris arbiter, aufert,

caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

strenua nos exercet inertia; navibus atque

quadrigis petimus bene vivere. quod petis, hic est,

est Ulubris, animus si te non deficit aequus. 30

[Q. Horatius Flaccus *Epistularum* 1.11 (edidit H. Silvestre 'Cátedra – Letras Universales')]

- Hágase un comentario fonético o morfológico de las palabras subrayadas con doble línea.
- Mídanse los versos nº 1, 4, 5, 19 y 29